

DE  
SYNEDRIIS

Veterum Ebræorum

*Liber Primus.*

V. CL.

JOANNIS SELDENI

De

SYNEDRIIS

&

Præfecturis Juridicis

VETERUM EBRAEORUM

*Libri Tres.*

Editio ultima priori correctior.



AMSTELÆDAMI,

Ex Officina Viduæ JOANNIS à SOMERENI  
& HENRICI & THEODORI BOOM. 1679.

# BIBLIOPOLÆ

ad

## LECTOREM.



Rodit nunc in lucem publicam, Lector Benevole, curâ nostrâ secunda editio nunquam satis laudati operis de Synedriis Viri Celeberrimi

JOANNIS SELDENI, p. m. quam hortatu virorum eruditorum suscepimus & feliciter ad umbilicum perduximus. Ut autem scias, quid hoc labore præstiterimus, monemus nos non solum mendas typographicas prioris editionis in hac expurgâsse, sed & adhibitâ operâ complurium variarum linguarum (quarum in hoc opere vel viginti occurrunt) peritorum Correctorum sedulò cavisse, ne novæ irrepe-

\*

3

rent.

# PRÆFATIO

feu Breviusculum

OPERIS

RATIONARIUM.



Uodecimus jam ampliùs agitur annus, quum primò abfolveram Libros, Unum & Alterum, *De Synedrio seu Confessu Magno Ebræorum*, à parte nobiliori ita tunc denominatos; quos etiam typis, sed non illibentèr interim cunctando, diu est quòd sum pollicitus. In Priore, non modò Senatùs ac Tribunalis illius celeberrimè illustrissimèque Institutio, Principes, Collegæ, Sedes, Migratio, Duratio, id genus reliqua explicabantur, sed prætereà etiam Synedria ac Præfecturæ Juridicæ quæ apud eos fuere sive ante sive post Legem in Sinai datam aliæ. Harum enim cognitio, sicut ad Regiminis totius publici tam circa Sacra quàm Profana in Judaismo Veteri (cujus, ut Parentis Divini, Christianismus, maximè Primitivus, Legitima & Prophetica Proles est ac Propago unica, nec in paucis Imitator) rationem ritè capiendam perquam egregiè conducit, ita ad Synedrii illius Magni Naturam & Amplitudinem perspicaciùs intelligendam apprimè est & accommodissimè prævia. Posterior, singulare Confessùs illius Magni Imperium summàmque Jurisdictionis Prærogativam duntaxat complexus est. Schedas autem Prioris ex Adversariis, & cogitationibus, ut in scriptis hujusmodi fieri assolet, secundis iteratisque sæpiùs inter recensendum auctas indèque plus justo tumescentes dum revolvi-

\*\*

mus,

# DE SYNEDRIIS

ET

PRÆFECTURIS JURIDICIS

Veterum Ebræorum.

LIBER PRIMUS.

CAP. I.

*Summaria Operis Designatio. De Synedriis seu Præfecturis Juridicis Veterum Ebræorum, quoties sui satis essent juris, ante Legis in Sinai dationem, consideratio generalis.*



**T**ribunalia veterum Ebræorum & quæ fuere ipsis Præfecturæ juridicæ, Causis Rebusque tam Publicis quàm Privatis, tam Sacris quàm Profanis, id est, omnimodis, discutendis definiendisque præstituta (quæ universæ, sive ex Collegarum sive ex Consiliariorum Ministrorumve aliorum adfessura aut conventu, SYNEDRIORUM seu Confessuum ac Consistoriorum nomine aut indigitari solent aut ritè satis significantur) Intervallo considerantur in Duplici. Alterum est quod Legis sacre in Sinai dationem antevertit. Alterum quod eam subsequitur. Populus item ipse bifariam considerandus. Aut quæ sui juris interdum ita fuit mansitque ut aliud præter Ebraicum Suique generis ac persuasionis Hominum non agnosceret sibi imperium, aut quæ imperio ejusmodi subinde etiam suberat. Prioris heic populi notionis Intervallo in priori (quo de primò agendum) exempla habentur in Abrahæ & Loti regnis<sup>a</sup> & quæ fuerint ejusmodi Ebræorum aliis ante migrationem in Ægyptum, uti etiam in tempore illo quinquaginta dierum post Egredium seu exutam Pharaonis tyrannidem. Nam sub id tempus<sup>b</sup> Lex data est in Sinai. Notionis populi posterioris sunt exempla hoc itidem per intervallum in peregrinationibus eorum Ægyptiacis aliisque aliquot in alienas terras migrationibus præeuntibus. Dum sui tunc juris ita erant, paucissima sane in sacris literis expressim habentur unde particularis aliqua Judiciorum, Tribunalium, Synedriorum eorum Ratio aut Formula satis elici possit. Nonnulla tamen illuc facientia inibi supersunt. Judæ sententia vivicomburii<sup>c</sup> in Thama-

A

marem

<sup>a</sup> Genes. 13.

<sup>b</sup> Exod. 19. 1.

Seder olam

Rabba cap. 5.

Hieronymus

Epist. 117. ad

Fabiolam ma-

stone 12. Au-

gustin. lib. 2.

super Exod.

quæst. 70.

<sup>c</sup> Gen. 38. 24.

DE  
SYNEDRIIS

Veterum Ebræorum

*Liber Secundus.*

## LIBRI SECUNDI.



Triennium est & quod aliquantulo excurrit, cum in *Libri Primi* Præfatione (quod Instituti Operisque Totius est etiam Rationarium) pollicitus sum *Secundum & Tertium*, si Deus vellet, propediem simul secuturos. Cæterum solennes Operarum Cunctationes Intermiſſionisque mihi (nam ut assiduus essem ipse schedarum speciminis cujusque inspector, necessum erat) inevitabiles, variatim interturbantes, in causa fuere ut ne *Secundo* citius finis dari potuerit. Deliberatum est aliquantisper utrum Hic seorsim prodiret, an potius, apud Bibliopolam latens, *Tertii* editionem, dudum etiam apud typos inceptam & brevi, uti spero, absolvendam præstolaretur; ut ita non sine comite exiret promisso. Quoniam verò in justum Hic per se creverat volumen, & ab amicis aliquot aliisque literarum hujusmodi studiosioribus desiderari videbatur etiam incomitatus, facile vicit Sententia, ut censuram sic per se solus publicam quanto cyus subiret. Pollicitationis nostræ fides ita ex eventuum fato, satis, opinor, liberatur. Ut è *Primo*, qualisnam Imperii & Jurisdictionis Forensis circa tam Sacra quam Profana etiam à Rerum Conditu per annos circa *MMD* seu ad Legis Mosaicæ dationem, apud Ebræos majoresque suos aliosque etiam Dei populos, obtineret ratio, haud difficultè elici potest, ita *Secundus* hic exhibet ejusmodi rationem, ex Jure Divino etiam ortam, quæ in Ebræorum, seu selecti Dei populi, disciplinâ vîgens, à Legis datione per annos amplius *MD*, seu usque in Excidium Templi Reipublicæque Sacræ, pro legitima semper agnita est, & quâ fieri permitteret exterorum subinde dominantium libido, velut Mosaica ipsa in Synediis, etiam divinitus institutis, habebatur in usu; excepto quòd Singularia illa (uti *Casus Reservati*) quæ an Synedrium Magnum per secula jam, post Legem datam, dicta, spectarunt, *Librum* per se occupant *Tertium*. Ex hisce simul, sanè etiam ex